

quoque poeta exprimens: Obsequium, inquit, amicos, veritas odium parit.

Quod autem sequitur: Non crudas carnes agni neque elixas comedamus: illud est, ne scripturas divinas (que verè carnes agni sunt) aut juxta historiam tantum intelligamus, & sicut crudas eas assumamus in cibum: aut rursus secundum Hæreticos, quibusdam allegoriis & nibilo interpretationis ad perverfa quaque dogmata derivemus & enervemus eas: si fucci veritate sublata, umbras qualdam & imagines effundamus. Sed intelligamus eas, & juxta historiam, sicut scriptæ sunt: & nihilominus eas Spiritus sancti excoquamus ardore. Et quidquid in illis secundum literam videtur incongruum esse vel clausum, spiritali expositione pandamus. Caput cum pedibus & intestinis comedetis. Caput mihi videtur esse agni illud quod in Evangelio Joannis scribitur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Pedes autem homo, quem pro nostra salute dignatus est assumere. Sed & aliter sentiri potest. Caput, intelligentia spiritalis: pedes, simplex juxta historiam narratio: intestina autem quidquid intrinsecus in litera latet, quidquid in superficie non videtur: sed diligenti examinatione commolitur atque ruminatum a doctoribus profertur in medium: & quod putabatur esse fœdum & indecorum, hoc reperitur esse vitale. Verbi gratia: quid turpius in scripturis dici potest, quam si Osee meretricem jubeatur habere uxorem: & Judas cum Thamar nuru sua concumbat: & David Bethsabee adulterio sordidetur: & Onam filius Judæ semen projiciat in terram, ne liberos generet.

Hæc si secundum literam intelligantur, nonne à gentibus & ab incredulis quibusque, quasi scripturarum stercora condemnantur atque irridentur? Sed si illa excutias, si laves, si Spiritus sancti igne excoquas, vertuntur in cibum: & quod putabatur inutile, invenitur esse mysterium. Non relinquas de eo in mane, & os non conteretis de eo, & quod reliquum fuerit de eo usque in mane, igne comburetis illud. Nihil de carnibus agni usque in futurum seculum reservemus. Quantumcumque possumus comedamus. Quod si qua in ea fortia sunt dogmata, videlicet Ecclesiastica, de Trinitate, de resurrectione, de anima, de angelis, de ceteris istiusmodi: hæc non juxta nostram opinionem pravis interpretationibus differamus, non conteramus illa: sed ita ut sunt fortia prædicemus. Si quid autem quasi homines præterierit, & non poterimus de carnibus agni comedere: scire debemus quod in futuro seculo doctrina Spiritus sancti nobis aperiendum sit, & comedemus illud. Sic autem comedetis illud: Lumbi vestri accincti, & calciamenta vestra in pedibus vestris, & baculum in manibus vestris, & comedetis illud cum festinatione. Pascha est enim Domini Dei vestri.

Hucusque præceptum est quales agni carnes comedere debeamus: nunc jubetur quo à nobis habitu comedendæ sunt. Lumbi, inquit, vestri accincti, & ad Apostolos dicitur: Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et Joannes zona pellicea cingitur. Et Helias nihil habens in se molle atque muliebre, sed totum virile & rigidum (homo quippe hirsutus erat) cingulum habuisse describitur. Et nos ergo si volumus carnes agni comedere, mortificemus lumbos nostros, mortificemus opera carnis. Et hoc quod in Job de diabolo dicitur: Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo ejus in umbilico ventris ejus, occidatur in nobis, ne caro concupiscat adversus spiritum, sed spiritu opera carnis mortificemus, & purificati vellemus agni carnibus.

Ut autem sciamus, fratres charissimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere. Moyfi præcipitur ut populus qui ascensurus erat ad montem Oreb, ante tres dies purificetur: Et David cum venisset ad Abimelech sacerdotem, interrogatus, si mundi sunt pueri? Respondit purificatos eos esse ab heri & nudius tertius. Si autem panes propositionis non poterant ab his qui uxores suas tetigerant, comedi: quanto magis panis ille qui de celo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulo ante hæere complexibus violati atque contingi? Non quo nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quo eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.

Quod autem sequitur: Et calciamenta in pedibus vestris: & baculum in manibus vestris: hoc jubetur: ut quamdiu in eremo istius seculi gradimur, calciati simus calciamenti pa-

cis, necubi in deserto scorpius & coluber obrepat, necubi serpens plantam gradientis invadat. Quod si forte adversum nos conlurrexerit, habeamus virgam in manibus, & percutiamus eum, & dicamus: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Vide mysterium scripturarum. Quamdiu per solitudines ambulemus, necesse habemus habere & pelles pro calciamenti quibus nostri tegantur pedes. Quando vero terram repromissionis intramus, dicitur nobis cum Jesu Nave: Solve calciamenti tui corrigiam: locus enim in quo stas sanctus est.

Et nos ergo quando intraverimus regna cælorum, non habebimus opus calciamenti, non his præsidis quibus custodimur in seculo: sed ut novum dicam, agnum illum qui pro nobis occisus est, seque rur. Sed videte ut de nobis dicat Joannes: Isti sunt qui vestimenta sua non coquinaverunt, virgines enim permanserunt: qui sequuntur agnum quocumque vadit Christum Jesum. Cui est honor & gloria in secula seculorum: Amen.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Ex eadem & hic sermo profectus est officina, & ad fratres charissimos pertinet.

DE RESURRECTIONE Domini Sermo.

NON quo, fratres charissimi, quem mente concepi, ore proferte sermonem, & cordis mei lætitia lingua non explicat. Hoc autem non solum ego parior qui cupio narrare quæ sentio: sed etiam & vos mecum patimini, plus exultantes in conscientia, quam eloquio profertentes. Videtur mihi hic dies ceteris diebus esse lucidior: sol mundo clarior illuxisse: astra quoque & omnia elementa lætari: & quæ patiente Domino proprium lumen retraxerant & fugerant, & noluerant creatorem suum aspicere crucifixum, hæc nunc victorem illum, & ab inferis resurgentem, suo (si dici potest) fulgore, suo prosequuntur officio. Credit cælum, credit terra: & sægna quæ totum mundum piscata est, Judæos tenere non potuit.

Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quomodo Maria virgo mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet: ita inter ceteros dies hæc omnium dierum mater est. Rem novam dico, sed quæ scripturarum vobis comprobatur. Hæc dies & una de septem & extra septem est. Hæc est dies quæ appellatur octava. Unde & in quibusdam psalmorum titulis superscribitur, pro octava. Hæc est in qua synagoga finitur & Ecclesia nascitur. Hæc in cujus numero octo animæ salvatæ sunt in arca Noë: Similiter, inquit Petrus, & vos salvos facit Ecclesia. Hæc est de qua Ecclesiastes præcipit: Date partes septem, date & octo. Hi sunt octo gradus, per quos in Ezechiele templum Dei scandimus.

Hæc octava dies, de cujus sacramento, & omnium nationum in Christi fide, octavus quoque psalmus incipit: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Et quid me necesse est infinita replicare? Dies me deficiet, si voluero omne diei istius exponere sacramentum. Hoc tantum dico, quod universa sabbati gratia & antiqua illa festivitas populi Judæorum, diei istius solennitate mutata est. Illi in sabbato non faciebant opus servile, nos in die dominica, hoc est, resurrectionis, opus servile non facimus: quia vitis & peccatis non servimus. Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Illi de domibus suis non egrediebantur: & nos de domo Christi non egredimur, sumus enim in Ecclesia. Illi non accendebant ignem in die sabbati: nos è contrario accendimus in nobis ignem Spiritus sancti, & omne vitium excoquimus peccatorum: de quo igne Dominus ait: Ignem veni mittere in terram: & quam volo ut ardeat. Desiderat Dominus ignem istum ardere in nobis: secundum Apostolum, id est, Spiritu nos sancto fervere, ut non refrigescat in nobis charitas Dei. Illi per diem sabbati non ambulabant in itinere: perdiderunt enim illum qui dixit: Ego sum via: nos autem dicimus: Beati immaculati qui ambulat in lege Domini. Et iterum: Viam veritatis elegi, & viam justificationem tuam doce me. Illi de spinis Dominum coronaverunt: nos autem si fuerimus lapides pretiosi, Dominum nostrum coronabimus.

Caput imperatorum istius seculi ornat diadema: nos ideo in capite nostri regis imponitur, ut ornemur à capite. Illi non susceperunt Christum, & susceperunt Antichristum: nos recepimus humilem Filium Dei, ut postea habeamus triumphantem. Ad extremum noster hircus ante Domini immolatur altare: illorum hircus antichristus consputus & maledictus, projicitur in solitudinem. Noster latro cum Domino ingreditur paradisum: illorum latro homicida atque blasphemus, moritur in peccato suo. Illis Barabbas dimititur: nobis Christus occiditur. Pro quibus universis fratres charissimi, consona pariter voce cantemus: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

Ignitam illam romphæam & paradisi janua quam nullus potuit effringere, hodie Christus cum latrone releravit: ideo hodie Christus dixit ad angelos: Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: quæ cum semel aperta est nunquam credentibus clauditur. Ex eo tempore quo passus est Dominus usque ad presentem diem, semper hæc porta clausa & reserata est. Clausa est peccatoribus & incredulis. Reserata est iustis & credentibus. Per hanc ingressus est Petrus: ingressus est Paulus. Per hanc omnes sancti & martyres intraverunt. Per hanc quotidie de toto mundo iustorum animæ ingrediuntur. Duæ portæ sunt, portæ paradisi & portæ Ecclesiæ. Per portam Ecclesiæ intramus portam paradisi. Ita debemus vivere, ne ejiciamur de domo illa, & ejeti foras à bestis devoremur: quas in alio loco Propheta formidans, ait: Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.

Eecce nunc Dominus stans in paradisi janua loquitur ad nos qui sumus in domo ipsius: quam quicumque sanctorum fuerit ingressus: quamvis diabolus prohibeat, quamvis inimicus acculet: ipse est siquidem acculator fratrum nostrorum, ipse est vindex inimicus: sicut in centesimo vicesimo sexto psalmo dicitur: Qui sanctus fuerit non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta: in Jesu Christo cui est honor & gloria in secula seculorum: Amen.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Nisi, quemadmodum dixi, modestus esse ducerem in hanc peccare partem: sermonem hunc in extremam hujus toni seriem rejecissem. Nam plane sapit impostoris illius artificium. Miror autem cum ascripserit Eustochii nomen, cur non item addiderit, Ego Hieronymus.

AD EUSTOCHIUM DE VINCULIS beati Petri.

SEPISSIMO rogatu, ô virgo Christi Eustochium, à me tua depositæ charitas: ut tibi tuisque virginibus notum faciam, unde beati Petri Apostoli in kalendis Augusti, quæ celebratur festivitas, initium habuerit: & quare nec post, nec antea, sed prima die mensis. Ingeritis autem quoddam esse qui hoc die Apostolum Petrum educum esse ab angelo de carcere credant. Ad ultimum petitis vobis declarari, qualiter psalmus centesimus tricesimus sextus Apostolorum principi beato Petro conveniat, vel si de ipso prophetatus sit.

Ad quæ duo priora, breviter me respondere oportet, ut in postremo mihi liceat immorari. Beatum Petrum Apostolum hoc die de carcere educum esse qui credit, ipsius repetitionis Evangelicæ legat textum: & invenit errorem se passum esse: in tantum enim aperte refertur, ut cunctis legentibus facile sit ad intelligendum. Nam Herodes rex, Herodis majoris filius, qui in salvatoris necem consentiens fuit: Domini nostri Jesu Christi doctrinam, quæ per Apostolos prædicabatur subvertere studens, misit manus ut affligeret quosdam de Ecclesia. Ibi datur intelligi plures ipsius significatos conatus esse, qui adhuc superbiæ suæ ramos extendens occidit Jacobum fratrem Joannis gladio, & hoc tantum facinus diebus azymorum facere studuit. Erat, inquit, dies azymorum. Et qui Dominum salvatorem anno præterito diebus azymorum occiderant, Petrum Apostolum in ipsis diebus extinguere satagebant. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem: tradensque quatuor quatermionibus militum custodiendum: volens post pascha producere eum populo. Sed non est consilium, non est scientia, non est sapientia, nec fortitudo aliqua contra Deum. In ipsa, inquit, nocte cum pro-

ducturus esset eum Herodes, erat Petrus dormiens inter duos milites vincus catenis duabus: & custodes ante janua custodiabant carcerem: & ecce angelus Domini alstitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris. Percussioque lateris Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus, & exiens sequebatur angelum. Ece quomodo Petrus diebus azymorum incarcerationis, post pascha ereptus sit, & non in kalendis Augusti. Sed hæc festivitas tanti Apostoli qualiter adinventæ sit, pandam. Octavianus Cæsar imperii sui æmulum M. Antonium habuit: quem assiduis congressionibus ac præliis vix extinguere valuit: quem Cleopatra conjux mortuum dolens, seque ipsam vivam scipeliens, uberibus suis aspides apponens, maluit viro suo commori, quam manus incurere Romanorum. Cæsar vero de tyranno celebrata victoria, Romam repedavit ducens secum infinitum captivorum numerum, & antiquorum Ptolemæorum omnium gazas: ut nec ante, nec post tanta copia auri, argenti, gemmarumque Romam adducta fuisset noscatur. Cum autem hoc die Romam ingrederetur, ob triumphum tantæ victoriæ ac pacem firmissimam toti orbi collatam: vocatus est Augustus, qui primò solum Cæsar dicebatur. Coronatur civitas, fit lætitia ingens in populo, statuitur à senatu, & omnibus Romanis scriptis firmatur, nunciaturque per universum orbem, omnibus gentibus Octavianum Augustum inter Deos debere coli: & ut mensis iste qui antiquitus in ordine mensium Sextilis dicebatur, in honorem Augusti Augustus vocetur: & hoc tripudium solennitatis ob triumphum Augustalis victoriæ, lege perpetua volumus custodiri.

Sic quousque ad Magni Constantini imperium ventum est: qui postquam dignatione superna, per sanctos Apostolos Petrum & Paulum visitatus, & per Sylvestrum papam baptizatus est, & ex persecutore fidei defensor, & mandatorum Christi custoditor assiduis factus: harum solennitatum phantasmata perhorrens, papa dicit Sylvestro.

Hæcenus pater humanis utens legibus, sicut ipse nosti, omni studio, & hos dies & alios excolebam. Nunc quia placuit Domino Jesu Christo, me peccatorem sibi famulum facere: iniquum mihi videtur harum celebritatum favorabilibus laudibus extolli. Vide ergo quomodo ad honorem summi Dei, beato Petro Apostolo hanc diem dedicem. Sanctus autem Sylvester hoc audiens, gaudio repletus, gratias Deo reulit, & cum sui cleri consilio Augusto respondit. Est carcer in quo beatus Petrus Apostolus pro Christo agonizans, vinculatus fuit, & sacri fontis lavacro, pluribus ibi baptizatis dedicavit: hunc omni forde purgati facias: quatenus Ecclesia ibi fabricata ad honorem tanti Apostoli, fidelium vota perenniter reddantur. Hoc audiens Augustus, lætus efficitur: purgatur locus, fabricatur Ecclesia, & hæc consecratur ab eodem papa. Affuit ibi Augustus: & sacris scriptis per veredarios toti orbi mandare studuit in hæc verba: Notum esse volumus omnibus Christum pie colentibus, beatum Petrum Apostolum à Deo nobis datum pastorem & principem summo studio venerari vel assidue, & maxime in hac die kalendarum Augustarum, in quo ut Deus à vobis soliti eramus adorari: ut ipse pius pastor precibus Deo fufis, nos & imperium nostrum adjuvare dignetur. Valete.

Sanctus autem Sylvester hunc diem celebrem omnibus Ecclesiis esse instituit, ut sicut celebrabatur ad honorem terreni principis, ad deum celebraretur clavigeri celestis. Accepit autem hæc celebritas nomen beati Petri Apostoli ad vincula, propter vinculorum quæ ibi passus est tormenta: ut ubi abundavit peccatum, superabundaret & gratia. Hæc domus vinculorum, hoc ordine facta est domus sanctorum orationum. Hæc breviter ad duo inquisita respondi, nunc ad psalmum veniam: & si beato Petro conveniat, ut in nullo vestrum bonum desiderium fraudetur, ostendam. Dicit ergo verbis prophetis Domino beatus Petrus: Domine probasti me, quoniam vocasti: cognovisti, quoniam præsumpsi & ausus fui dicere: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Tu autem cognovisti omnes cogitationes meas à longe antequam eas cogitarem: semitam meam & directionem meam investigasti: & omnes vias meas prævidisti & probasti, quia non erat dolus in lingua mea cum dicerem: Si me oportuerit mori tecum, non te negabo. Tu autem firmasti me, & posuisti manum tuam super me: firmasti me de tua præscientia, quod essem negaturus: & posuisti manum tuam super me: ut peccatum lachrymæ sequeretur.

Mirabilis facta est potentia tua ex me: confortata est, nec potero ad eam.

Conatus sum non negare: promissi etiam me mori magis eligere quam negantis crimen incurere: sed presentia tua ita confortata est, ut non potero ad eam: quid nunc faciam, negavi Dominum & magistrum, nec (ut quidam opinantur) hominem negavi. Ego illum negavi, cui dixi: Tu es Christus filius Dei vivi. Illum negavi quem pedibus ambulantiem super aquas expertus sum. Illum quem voce sua vidi mortuum vocantem de sepulchro. Illum quem caelis patentibus, vidi cum Moyse & Helia, & vocem audivi super eum de caelo: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Illum qui caecum tactu suo illuminavit, qui verbo leprosum mundavit, qui iussu demonia expulit, & multas virtutes suae deitatis ostendit. Quid nunc facimus Novatiani? Perdimus Apostolum Petrum: an recipimus revertentem ad Christum? Ecce Christus cum recipit, tu ejicies? Sed clamat contra te Paulus: Si Deus justificat: tu quare condemnas? Dicis, credite, baptizatis non debet poenitentibus subveniri. Ecce Apostolo poenitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & major gradus redditur ploranti quam sublatus est deneganti.

Quod ut doceam, illud ostendo quod nullus Apostolorum pastoris nomen accepit: soli enim hujus nominis potestatem post resurrectionem suam petro poenitenti Dominus concessit, & negatus, quam solus habuit, Petro tribuit potestatem, ut non solum recuperasse quod amiserat probaretur: verum & multo amplius poenitendo quam negando perderat, acquisisse. Hoc magister bonus in electo discipulo formavit exemplum: ut omnis discipulus Christi sit integro animo, & poeniteat si ita evenierit ut delinquat, nec rem noxiam sibi permittere debet ut decreseat. Sed qui tanto citius vincitur, tanto citius expurgatur.

Certe omnis sanctitas ad Deum ducit, & omne peccatum ad diabolum. Et sub Domino bono positi, quomodo credimus nobis possibilitatem ad diabolum eundi concessam: & revertendi ad Dominum denegatam? Adde aliquid. Certe hominem per peccatum a se recedere Deus non vult, & peccatorem ad se venire omnem vult: & si illud peccaverit fieri quod Deus non vult, quanto magis potest fieri quod Deus vult? Ideo denique cogitatio peccati non est ideo a Deo prohibita per naturam, sed per imperium: ut laboris ejus pugna incumberet, & praemium de certamine proveniret. Voluit enim Deus homini operis fatigationem relinquere, ne in aliqua detrimenti parte praemium impediret.

Duos certe bonorum & malorum populos esse, nemo est qui nesciat. Bonos dicimus credentes, & pessimos non credentes. Non credentes esse sub diabolo: & credentes sub Deo. Magna praedicatio tua, qui servum diaboli ad te vocas, servum Dei a te repellis: quasi qui velis Deum lucrari quod non habet, & perdere quod habet. Hinc ad Dei computans divitias: quod possit Deus mortuos suscitare: & infirmos salvare non possit. Nam increduli mortui, & credentes licet peccatores sint, vivunt in infirmitate sua. Et si Salvator noster habet, imo quia habet potestatem suscitandi mortuos, quomodo virtutem non habet quaecumque fuerint infirmitates curandi? Ex utroque latere blasphematur a vobis, qui poenitentibus negatis effectum. Si enim posse eum docetis infirmitatem omnem curare: sed si polli, impium arguitis. Si velle & non posse eum forsitan dixeritis, a deitate excluditis: ut misericordiam vobis ex utroque latere condemnati denegatis: cum negatis familiae Dei pereunti non posse succurri. Haecenus, cum Novatiani sim locutus, revertamur ad Apostolum poenitentem & flentem amarissime atque dicentem: Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Scio quia tu es Christus Filius Dei vivi: quam scientiam non revelavit mihi caro & sanguis, sed pater tuus qui in caelis est.

Quo fugiam qui te Deum novi & omnipotentem agnovi? Si in caelos ascendero, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Ibi enim per passionem specialiter descendisti: ubi per potentiam tuam, sicut ubique generaliter praesto es. Si fumpsero pennas meas diluculo, id est, ante lucem. Pennas hoc loco pro cogitationibus ponit, quae repentino volatu ubique sunt: in caelo, in terra, in abyssu, & ubicumque finiuntur maria. Si ergo, inquit, illic ante lucem tuae resurrectionis vadam, ubicumque inaccessibilis solet fugitivum abscondere, ut illic ire possim, manus tua deducet me: & quasi fugitivum tenebit me dextera tua. Ante lucem hic,

ante resurrectionem posuit salvatoris: quia in tenebris fuit omne saeculum jacente Domino in sepulchro: in quo tempore poenitentia Petri agebatur. In quo etiam dicit: Forsitan tenebrae conculcabunt me: & in tribus negationibus suis, tres fugarum partes clausas esse sibi si fugeret memorabat: in caelo, in inferno, & in postremis maris: ergo negare, tenebrae sunt, & fugere conculcatio tenebrarum: hoc timens, ne comprehensus ab ipsis tenebris conculcetur, quasi tenebris malis suis submersus, operibus esse deditus tenebrarum, habens tractum perennem, juges lachrymas, dolores aeternos. Hoc enim modo conculcatur tenebrae mortis hujus, qua corporaliter morimur. Si vero fuero moriens, inquit, non conculcabor a tenebris: sed ad delicias sanctorum attingam.

Nox ipsa illuminatio mea est in deliciis meis. Ibi enim habeo lucem Christum meum, qui non patitur obscuritatem tenebrarum: in cuius conspectu nox sicut dies illuminabitur: haec docti praedicant Petro Apostolo & cantamus & credimus. Sicut tenebrae ejus sunt, ita & lumen ejus est. Tenebrae enim non omnibus creaturis obscurum faciunt. Siquidem & ferae omnes, sed & noctivagae bestiae noctium nullum patiuntur obscurum. Sed & aves sunt quae in noctibus volant.

Unde docemur natura oculos non omnia animalia a creatore hos esse sortita, ut in tenebris videre non possint. Deus enim ad requiem hominum noctes instituit: ut generationi humanae quiete possit esse consultum. Ipsi ergo sunt tenebrae, cuius est lux, quod Manichaeus negat. Ipse etiam creator corporum nostrorum, contra quod suscipit qui impunitus Petrus dicitur: Tu possidisti renes meos, qui suscepisti me de utero matris meae. Sicut enim in ore dum loquimur, & in opere dum aliqua operamur, cordis nostri cogitata ostendimus: ita quod cogitamus antequam dicendo vel operando pandatur, a renibus gignitur, secundum illud quod in alio psalmo dicimus Deo: Quoniam tu possidisti renes meos. Dicit enim quia ita tibi in me nihil occultatum est: ut non solum quae sunt cogitata consideres: sed & cogitata quae sunt in renibus cernas. Tu Domine qui suscepisti me ex utero matris meae: ita ut quidquid ab ortu meo seminis balbutientis infantiae verbis aliquando forte peccavi cognoscas: in hoc etiam confitebor tibi, quia terribiliter mirificatus es, mira opera tua, quae & oculis meis vidi, & exercente te Domine Jesu Christe cognovi: & anima mea cognovit nimis: intra me est quod credidi: non in superficie verborum, sed intus in visceribus animae: quod ita esse tibi non est occultum. Siquidem tibi occultum non est nec os meum, id est, os meum quod fecisti in occulto. Si ergo nec os meum tibi occultum est, quod occultum naturaliter esse voluisti: quomodo ante te occultum erit in corde, quod manifestari iussisti?

Ad altiora ducimur cum de ossibus & substantia, quae in inferioribus est terrae tractamus. Agitur enim in hoc loco quod cum dies resurrectionis advenit, ubicumque fuerit os meum: & si in inferioribus terrae fuerit substantia mea, imperfectum meum videbunt oculi tui, quia solo aspectu oculorum tuorum exurget. In libro enim resurrectionis qui nati sunt scribuntur quotquot de die in diem formabuntur: & nemo est in eis qui ibi scriptus non sit: in quo libro mihi non sunt in amore & honore, nisi soli amici tui Deus: nimis enim confortatus est principatus eorum. Siquidem participes eos tui aeterni imperii repromittis. Nec haeretici audiendi sunt qui dicunt: non debuit mundus subsistere per eum, qui praesens erat homines per peccata & scelera sua ad aeternum gehennae incendium destinandos. Si enim ita putetis fieri debuisset, consultum magis reis iudicaberis quam sanctis: si enim mundus fuisset a suo transitu revocatus, nullus fuisset sanctorum particeps regni: & dum providebatur malis, ne ad interitum devenirent, & ut non perirent pro merito suo mali: hanc boni accipiebant sententiam, ne vel temporalem vitam susciperent quibus debebatur aeterna. Nos autem cum Propheta gaudeamus cum sanctis Dei, atque cum Apostolo Petro dignis honoribus amicos Domini recordemur: quorum tantus est numerus, ut super arenam multiplicati esse noscantur. Quid autem erit qui occidat Dominum peccatores: occidat Nerone, & post eum omnes viros sanguinarios qui sanctos Domini occiderunt?

Si vestrum, o haeretici, Deus esset secutus consilium, ne perirent Nero aut Diocletianus, vel ceteri interfectores san-

ctorum, nec fecisset Apostolos, nec martyres nasci: esset par iudicium iustis & iniustis, & omnes una praeveniens sententia, per quam omnes viderentur ante puniri quam nati. Sed vos o viri sanguinum declinate a nobis, qui dicitis, quia in vanum acceperunt civitates suas: hoc est sine causa sunt mortales effecti: & omnia cum mundo percunt & par est ipsa perditio. Non est ita, omnes enim in libro scripti sunt, omnes resurgent: sed aliis dabitur odor vitae in vitam aeternam, aliis odor mortis in mortem perpetuam, ubi devenient hi quibus dicitur: Nonne qui oderunt te Deus odio habui, & super inimicos tuos tabescebam? Haec Petrus loquitur & Ecclesia in Petro pronunciat: Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Et his ideo anathematizatis, proba me Domine & scito cor meum, quid de te sentiam: quid de te credam: interroga me, & scito semitas meas: sit tibi sollicitudo de Ecclesia tua, & de ovibus tuis, & de pastoribus tuis, & vide si via iniquitatis in me est. Via iniquitatis diabolus est, qui se ad ambulandum in ea incredulis & haereticis praebet. Et vide, inquit, in populo tuo ne sit aliquis, in quo via iniquitatis iter erroribus praebet: excludensque viam iniquitatis deducit me in viam aeternam: ut porta mortis & inferi non praevaleant mihi secundum verbum tuum Domine Jesu Christe, qui regnas in saecula saeculorum: Amen.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Et haec ejusdem, quod aiunt, farina est: nec in hoc esse ordine nisi magis mea modestia, quam illius meriti rationem habere.

DE OBSERVATIONE vigiliarum.

DIGNUM est fratres aptumque prorsus, satisque conveniens: quando ipsa lucubratio exigitur a sollicitis. Nox ecce est caligo corporis, non solum homines, sed etiam cunctos somno detinet animantes: ut reformatis viribus per soporem, possint diurnos labores sustinere viventes. Bonus Deus, qui ita prospexit, ita constituit, ut homo exiturus ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vespertam, haberet vicarium tempus, in quo a duris laboribus, & multa fatigatione requiescere praestitit. Novimus autem multos hominum, ut aut majoribus suis placeant, aut sibi aliquid peculiariter profint, noctis particulam ad aliquod opus segregare: id pro lucro ducere, quod furari de sopore suo operi poterint. A Salomone vero laudatur & femina: quae pensa & lanificum ad lucernam vigilantem exercet. Addidit etiam quod ex hoc laus viro ejus in portis & gloria magna nascatur. Quod si in carnalibus instrumentis: id est, victui aut vestitui necessarii: quae vigilat non reprehenditur, imo laudatur, mirari me fateor esse aliquos qui lacras vigiliis tam spirituali opere fructuosas, orationibus, hymnis lectionibusque fecundas, aut superfluas existimant, aut otiosas: aut quod his est deterius, importunas. Et quidem si sunt homines a religione nostra alieni, qui ista sic sentiunt, non est mirum. Quomodo enim prophana religio placere possunt? quibus si placeant, nostri essent: quia fumus utique Christiani.

Si vero nostri sunt quos vigiliarum salutaris actus offendit: ut nihil de his deterius suspicer: aut pigri sunt, aut somniculosi, aut quod his est proximum senes, vel infirmi. Si pigri sunt, erubescant quia illis resonant verba Salomonis: Vade ad formicam o piger, & amulare vias ejus. Si somniculosi sunt, expergantur, scriptura proclamante: O piger quo usque dormis? Quando autem de somno surges? paululum quidem dormies, modicum sedebis, pusillum autem dormitabis, pusillum vero complecteris manibus pectus: Deinde superveniet tibi tanquam viator paupertas: inopia tanquam bonus & levis cursor cito veniet. Si senex es, quis te compellit ut vigiles? quanquam & non compulsus pro aetate tamen vigilas. Et si stare non potes, & tuam cogitas impossibilitatem, non debes juvenes & valentes ad tuum revocare torporem, quos propter varias tentationes juventutis seiplos propensiores macerare deceat vigiliis.

Si vero infirmus es membris, quod facere non potes non reprehendere: imo riga & tu secundum Prophetam lachrymis stratum tuum, & dic: Sic memor fui tui super stratum

meum. Injunge etiam vigilantibus, ut te suis precibus juvent: quo adjutus a Domino super lectum doloris tui canere possis, & tu aliquando merearis dicere: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Alioquin stultum & satis extraneum est: ut quia ipsi currere non valeamus, bene currentibus derogemus. Nam & si non possumus, debemus congratulari potentibus. Sicut enim de consensu malitiae participatur cum facientibus poena: sic participatio gloriae speranda est de consensione bonitatis. Alios enim effectus coronat: alios voluntas pia latificat. Nec sane onerosum, vel difficile videri debet etiam delicatis corporibus in septimana duarum noctium, id est, sabbati atque dominicae, portionem aliquam Dei ministerio deputare. Ista enim quasi purificatio est dierum quinque vel noctium, quibus super carnalium ingravescimus, aut mundanis actibus oscitamus. Nec erubescat aliquis in bono studio sanctitatis: cum non erubescat improbi in perpetrando opere scditatis. Merito ergo scriptura in Proverbiis ingerit: Est consilio quae ducit ad peccatum. In bono enim opere confundi peccatum est: sicut in malo faciendo non confundi pernicies est.

Si sanctus es, ama vigiliis: ut thesaurum tuum vigilando custodias, & ipse in sanctitate serveris. Si peccator es: magis cura, ut vigilando & orando purgeris: dum tunc peccatore frequentius clamas: Ab oculis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Qui enim jam ab oculis desiderat emundari: necesse est ut eum non deleat istis ministeriis inquinari. Res exigit charissimi, ut de autoritate vigiliarum, & antiquitate, deque ipsa utilitate pauca dicamus. Magis enim quilibet labor suscipitur: si ante oculos proponatur ipsius laboris utilitas. Antiqua est vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus sanctis. Isaia denique Propheta clamat ad Deum: De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quoniam lux praecpta tua super terram. David Regio & propheticus sanctificatus unguento, ita canit: Domine Deus salutis meae: in die clamavi & nocte coram te. Et in alio psalmo: Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodivi legem tuam.

Sed forsitan in lectulo suo positus haec cantabat: quod aliquanti pigriores sufficere putaverunt: si tantum in stratu suo aut ore unusquisque, aut psalmum submurmurem. Quod quidem & ipsum bonum est: Dei semper & ubique meminisse salutare est. Sed quod sit melius exurgere & conspectui divino assistere: accipe ejusdem Prophetae aliam vocem: quae & tempus & locum & habitum deprecantis ostendit. In noctibus, inquit, extollite manus vestras in sancta, & benedite Dominum. Et ne vespertinas tantum horas noctis exillimes appellatas, occurrit & dicit: Media nocte surgebam, ut confiterer tibi super judicia justitiae tuae. Habes & tempus expressum exurgendi, & sollicitudinem, quomodo Deo confitearis, ostendam. Adhuc consideranti mihi intentionem sanctorum, majus aliquid & laboriosius occurrit, & ultra humanae naturae conditionem suggeritur: cum eundem audio Prophetam psallentem: Si ascendero in stratum lecti mei: si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem & requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Quis enim tantum non stupeat Dei amorem & animi devotionem: ut somnum sibi, sine quo humana utique corpora deficiunt penitus interdixerit: donec locum ad Templum Domino fabricandum rex & Propheta reperiret? Quae res nos debet firmiter admonere: ut si ipsi locus Domini esse volumus: & tabernaculum ejus ac templum cupimus haberi perpetuum: sicut Paulus allerit, dicens: Vos estis templum Dei vivi: in quantum possumus exemplo sanctorum, vigiliis diligamus: ne de nobis dicatur, ut psallitur: Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt in manibus suis. Quin potius gratulabundus unusquisque jam dicat: In die tribulationis meae Deum exquisivi manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus. Quia bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, altissime. Ad annuntiandum manes misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Haec & hujusmodi tanta ac talia ideo sancti cecinerunt & scripta reliquerunt: ut nos eorum posteri paribus excitarem exemplis, ad celebrandas etiam noctibus salutis nostrae excubias. Sed a veteribus veniamus ad nova: de ministris legis ad ministros Evangelii: de novo etiam testamento vigiliarum gratia consignetur. Anna Phanaelis filia vidua, continuis orationibus & jejuniis Domino serviens, non discessisse de templo die ac nocte in Evangelio legitur. Pastores illi sanctissimi,